TABULA SECUNDA.

IN tribus ſeqventibus tabulis navigationis commoditas manifeſtè poteſt conſpici. Nam in prima Viſurgim navigamus, & ejus vaſa, vada, loca arenoſa, cùm plana, tum pulvina monſtramus. Vaſa, quæ in fluvii decurſu viſuntur, *tonnas vocamus, & ſunt conica, id eſt, parte ſuperiore, rotunda & ampla, inferiori autem acuminata & pice aut navali, aut liqvida obducta, ſolventibus à dextris, appellentibus à ſiniſtris ut plurimùm poſita.*

Hæc verò ſigna eminentiora, vulgò Baken, ſub hac forma pulvinis affixa, qvò meliùs à longo qveant conſpici.